

235. Gregor. XV. 1623	240. Clemens X. 1676
236. Urban. VIII. 1644	241. Innocent. XI. 1689
237. Innocent. X. 1655	242. Alexand. VIII. 1691
238. Alexander VII. 1667	243. Innocent. XII. 1700
239. Clemens IX. 1669	

## 2. *Qua laude hi omnes Ecclesie gubernacula tenuere?*

Cum Lutherus cæterique apostatæ eò impietatis progressi fuissent, ut ipsum adeò JESU Christi in terris Vicarium Antichristum appellare sint ausi, DEUS, ut immanem hanc hæreticorum calumniam facto ipso refelleret, orbique universo manifestas eorum fraudes, technas & mendacia ob oculos poneret, jam inde à Lutheri apostasia ad hoc usque tempus eos sibi vicarios delegit, in quibus ne conjurati quidem Pontificii nominis hostes haberent, quod jure possent reprehendere.

## 3. *Quis Ecclesie status?*

Tot licet errorum ac hæresum spinis passim progerminantibus, morum tamen disciplina & scientiæ, rosarum instar, pulchrius in dies cœperunt resflescere. Instaurata quippe ubique Catholicorum pietas, templorum nitor, rituum Ecclesiasticorum decentior & accuratior usus, institutionum Christianarum, Concionum ac Sacramentorum frequentia &c. Quæ porro, quantaque detrimenta Religio orthodoxa ex tricennali bello, secutaque exinde pacificatione Westphalica acceperit, in Opusculo III. strictim attigimus.

## 4. *Qua ratione Religio orthodoxa propagata est?*

I. In America propè innumeri à Missionariis

Apo-